ASSERTIONES THEOLOGICAE,

De Pœnitentia, & eius partibus,

ANTE INSTAVRATIONEM ſtudiorum, in templo Societatis IESV diſputandæ.

ROMAE, IN AEDIBVS SOCIETATIS IESV.

1561.

1 CVM natura humana originali peccato grauiter læſa ſit; ad eam ſa-
nādā, & ad priſtinum ſtatum reuocandam, duplici virtutum gene-
re opus eſt: altero, quo depulſo morbo ſanetur; altero quo ſanata perficia-
tur. Vnde accidit, vt virtutes quædam ſint, quarum vſus in ſtatu inno-
centiæ, atque in beatis eſſe poſſit: aliæ non ita; quippe quæ aliquam in no-
bis imperfectionem requirunt, quam auferant. Cuius generis pœniten-
tia eſt, quæ quidem ſi peccata non eſſent, nulla virtus eſſet. At cùm in
tam multa peccata labamur, ea maximè indigemus.

2 POENITENTIA ergo propriè, & in genere ſumpto vocabulo; eſt
diſplicentia alicuius rei, quæ antea placuit: ex qua quidem diſplicentia
mox triſtitia dolor ue naſcitur, ſicut ex complacentia, lætitia: atque ita
pœnitentia videtur vtrunque ſua ſignificatione complecti: nempe di-
ſplicentiam, & triſtitiam.

3 CAETERVM diſplicentia cùm poſſit eſſe vel facti, vel alterius
rei: & facti, vel proprij, vel alieni, & proprij, boni vel mali: propriè
pœnitentia eſt diſplicentia ſeu dolor, non cuiuſuis rei, ſed actuum no-
ſtrorum malorum, hoc eſt, peccatorum. De his nanque ex ratione recta
ſolum triſtari conuenit, non de bonis, & honeſtis. Atque id pœnitentiæ
nomen, ſi eius etymologiam ſpectemus, indicare videtur. Nam à pœ-
nio antiquo verbo, ſeu punio, quod idem eſt, dicta videtur, quod videli-
cet in ſe quiſque puniat quod commiſit, vel vt ait D. Auguſtinus, pœ-
nitentia dicta eſt, quaſi pœnæ tenentia, & pœnitere, quaſi pœnam te-
nere; quòd nimirum quædam ſit propriorū operum punitio.

4 QVI pœnitentiam reſipiſcentiam, aut mentis mutationem, aut nouā
vitam duntaxat eſſe volunt, grauiter errant; cùm præterita peccata re-
ſpiciat, non ſolùm futura. Nam & illa deteſtatur, & hæc cauet, ſi ve-
ra eſt pœnitentia. Et qui nouā vitam ingreditur, veteris eū pœniteat ne-
ceſſe eſt, vt rectè ait D. Auguſtinus; ſicut qui ab vno recedit loco, ac-
cedat ad alterum oportet.

5 NOVAM vitam ſatis eſſe aſſerere ad peccata remittenda ſine
præteritorum diſplicentia, & hanc ſolam nouam vitam, optimam eſſe
pœnitentiam, hæreſis eſt. Necnon ipſam pœnitentiam præteritorum,
tanquam malam condemnare, aut magis efficere peccatores, magis ue
hypocritas, aſſerere, impium eſt, & hæreſis Lutherana.

6 *POENITENTIÆ eſt verè virtus, iuſtitiæq; ſpecies ab alijs obiecto & materia differens, iniuriam Deo factam per peccatum, in nobis vindicans, & eſt à Domino præcepta, & ad ſalutem neceſſaria, nec remiſſio peccatorum, nec gratia, aut iuſtificatio in adultis poſt mortale peccatum ſine illa poteſt contingere. In martyrio tamen etſi pœnitentiam requiri eſt probabile, & ſine ea martyriũ non prodeſſe; tamen contrarium quoque vt probabilius tuebimur. At martyrij deſiderium, aut tormentorum ſolã pro Chriſto perpeſſionem citra mortem, ſine pœnitentia nullo modo ſufficere putandum eſt.*

7 *QVAMVIS naturæ lumine pœnitentiam, hoc eſt deteſtationem ſeu diſplicentiam de peccatis præteritis, & virtutem eſſe cognoſci potuerit, imò verò ad placandum Deum aliquam vim habere, non omnino fuiſſe ignotum gentibus naturali lumine videri poſſit, cùm pœnitentijs ſæpe & ſacrificijs ad placandos Deos ſuos vterentur: tamen perfectã plenamque pœnitentiæ rationem ignorabant, tùm quia perfecta ac vera Dei cognitione carebant, qualem nos habemus per fidem, atque ita peccati quoque grauitatem infinitam, quatenus eſt contra Deum, neſciebant tùm quia finis vltimi illis deerat cognitio, & gloriæ, à qua excludit peccatum, & gratiæ iuſtificantis, quæ per peccatum perditur, & per pœnitentiam recuperatur.*

8 *FIDE poſita, neceſſaria ratione conſequitur agendam eſſe de peccatis pœnitentiam, idque propter Deum, & per pœnitentiam peccata deleri, & Dei amicitiam, ac gratiam, iusque gloriæ recuperari. Conſentaneũ enim eſt rationi, vt creatura ſummè doleat de iniuria Creatoris, & omnia agat ad tantam iniuriam delendam.*

DE POENITENTIÆ AFFECTV.

1 *PRÆTER pœnitentiæ virtutem eſt affectus pœnitentiæ ab ipſa diuerſus, ſed quem tamen ipſa virtus moderatur, atque hic tum in appetitu ſenſitiuo eſt, tum in voluntate. Eſt autem in ipſo ſenſitiuo appetitu duplex affectus, alter ex redundantia doloris voluntatis, alter ex voluntatis electione, ac rationis imperio natus. Itemque in voluntate duplex, alter ex ratione, alter verò ex charitate, diuinus nimirũ et infuſus.*

2 *POENITEMTIÆ affectus omnis, etiam ſenſitiuus, modò ſit moderatus, vituperatione caret. Qua in re cùm Stoici errant, tùm grauius Lutherani, pœnitentiæ doloris affectum, luctus, & lachrymas reprehendẽtes. Vitiũ tamẽ in pœnitentiæ affectu eſſe poteſt, vt ſi ob ma-*

lum finem, aut non debito modo quis doleat.

3 *IN Deo & Chriſto, ſecundum quòd homo eſt, & in Angelis nec pœnitentiæ habitus, nec actus, nec affectus eſſe poteſt; in beatis eſt habitus quidem, ſed actus à noſtro diuerſus. In his verò, qui in Purgatorio ſunt, eſt habitus idem, ſed actus à viatorum, & comprehenſorum actibus diuerſus. Cæterùm in damnatis & Dæmonibus eſt pœnitentiæ affectus prauus, virtus verò, aut eius actus minimè. At in innocentibus, qui non peccarunt, eſt habitus, ſed non actus. In nobis denique tùm habitus, tùm actus, tùm affectus eſſe poteſt: atque is & bonus, & malus.*

DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

1 *CVM peccatum animi ſit lætalis morbus, nec homo proprijs viribus à peccato poßit reſurgere, cùmque frequenter contingat, homines peccare: neceſſe fuit, vt diuina bonitas remedium nobis aliquod peccatorum proprium relinqueret, quo in priſtinam ſalutem poſſemus reuocari; Hoc autem fuit Pœnitentiæ Sacramentum.*

2 *INSTITVIT autem hoc Sacramentum, cùm Ioannis 20. dixit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Inſtituit verò immediatè, & per ſe, non per alios.*

3 *SI rem ipſam, & totius naturā Sacramenti ſpectemus, definiri cōmodè ſic poteſt; Pœnitentia eſt ſacramentum remißionis peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur. Neque verò admittendi ſunt, qui vel per ſolam abſolutionem Socerdotis definiunt, aut per ſolam pœnitentis confeßionem, aut per vtrunque ſimul, aut verò per alios pœnitentiæ actus definiunt tantùm; Cùm tam hi, quàm illi aliquam eius partem gratiæ, & remißionis peccatorum effectricem omittant.*

4 *DICITVR quidem varijs nominibus in Sacris Canonibus, eius virtutem, aut cæremoniam, aut partem aliquam ſignificantibus, ex quibus errandi occaſionē illi ſumpſiſſe videri poterunt. ſ. Sacramentum reconciliationis; ſeu reconciliatio ipſa, Sacramentum etiam impoſitionis neanuum, ſeu manuum impoſitio; quamuis manuum impoſitio aliquando pro Ordinis Sacramento, & Confirmationis accipi ſoleat: dicitur etiā Sacramentum remißionis peccatorum, Sacramentum confeßionis, Sacramentum denique pœnitētiæ; aut ſimpliciter, & abſolutè Pœnitentia, & ſecunda etiam tabula poſt naufragium.*

5 *ITERARI verò toties hoc Sacramentum poteſt, quoties quis*

peccauerit: Nam peccator ſemper poteſt per pœnitentiam reparari, cùm Saluator D. Petrum iuſſerit non ſolùm ſepties peccata dimittere, ſed ſeptuagies ſepties; & id quidem decet diuinam miſericordiam, & bonitatem, vt facienti quod in ſe eſt, & veniam petenti, ea nō denegetur. Vnde Nouati impietas conuincitur, & cæterorum hæreticorum, qui vel lapſis veniam per pœnitentiam denegabant, vel ſemel duntaxat eā habere locum concedebant.

6 *NEC minus Caluini hæreſis, ab hac Nouati non longè diuerſa, qui negat pœnitentiæ Sacramentum à baptiſmi ſacramento diſtinctum eſſe, affirmatque peccata ſolùm baptiſmi recordatione deleri, & fide remiſſionis peccatorum, ac promiſſionis in eō factæ. Nam ſi ita ſit, nec ſunt ſeptem ſacramenta, nec poteſtas peccata ſoluendi, aut remittendi in Eccleſia.*

7 *PER pœnitentiam primùm peccatorum omnium fit remiſſio, ſcilicet culpæ & pœnæ æternæ: pœna præterea temporalis minuitur (ſed aliquando etiam tota per pœnitentiam aufertur) & gratia acquiritur, & amiſſa recuperatur. Inſtaurantur & recuperantur amiſſæ virtutes per pœnitentiam, ſed ita, vt aliquando quidem peccator reſurgat ad æqualem gratiam, aliquando ad maiorem, aliquando ad minorem, pro ratione videlicet maioris, vel minoris pœnitentiæ. Quamuis, vt probabile, tuebimur ad æqualem gloriam ſemper redire pœnitentem.*

8 *OPERA extra charitatem facta, atque adeò mortua, vitam poſtea, hoc eſt meritum æternæ vitæ non poſſunt accipere per pœnitentiam, nec per ſupervenientem charitatem, ſicut nec peccatum ſemel dimiſſum, nec eius pœna per ſequēs peccatum iterum redit, ſed redire dicitur ob ingratitudinem duntaxat, quæ in ſequenti peccato reperitur, idque magis, vel minus, pro ratione maioris, vel minoris ingratitudinis.*

9 *VNVM mortale ſine altero remitti nullo modo poteſt (impium eſt enim à Deo dimidiam ſperare veniam) nec veniale ſine mortali. Licet autem vnum veniale ſine altero veniali, & mortale ſine veniali remitti poſſit; nullum tamen ſine aliqua pœnitentia, nec ſine aliquo motu gratiæ iuſtificantis, aut charitatis.*

10 *POENITENTIA remittitur peccatum, vt à cauſa efficiente, acquiritur gratia, vt à cauſa materiali ſubiectū aptum reddente ad eius receptionem. Eſt enim effectus charitatis ſeu gratiæ, & diſpoſitio ad eandem.*

DE DIVISIONE POENITENTIAE, ET EIVS PARTIBVS.

1 POENITENTIAM tres habere partes, communis eſt ſententia, nempe Contritionem, Confeßionem, & Satisfactionem, ſed tamen an virtutis ſint partes, an actuum virtutis, an verò ſacramenti pœnitentiæ, & quod ſit hoc partium genus, non perinde liquet: cùm etiam non deſint, qui eas eſſe partes audacter negẽt, & hi qui partes concedunt, alij integrantes, alij pœnitentiæ ſpecies, alij verò aliud genus partium, quas potentiales appellant, eſſe putent.

2 AC ſanè, vt quod certum ſit, conſtituamus, habitus pœnitentiæ propriè partes dici non poſſunt, cùm virtus ſit ſimplex qualitas, nec etiã eius ſunt ſpecies; nam circa idem obiectum verſantur, ſed impropriè partes eius dici poſſunt, quo pacto virtutẽ in eius actus diuidere cõſueuimus.

3 AT verò actuum pœnitentiæ illa tria ſunt vera genera, ſub quibus omnes eius actus continentur. Aut enim pœnitentiæ actus ſunt interiores, aut exteriores. Et exteriores rurſus vocis, vel operis. Interiores ergo omnes actus nomine contritionis comprehendimus, vocis ſub confeßione, operis ſub ſatisfactione. At reſpectu perfecti actus pœnitẽtiæ, ſunt etiam partes integrantes; ex his etenim tribus ſimul, perfecta pœnitentiæ actio conſtat.

4 IAM verò ſacramenti pœnitentiæ eſſentiam aliqui in has eaſdem partes ſecant, alij in duas, puta confeßionem, & abſolutionem, alij vnã eſſe duntaxat aſſerunt, puta abſolutionem, reliqua verò non partes propriè, ſed eſſe tantùm requiſita, alij quoque quinque partes eius aſſerunt, puta ceſſationem à peccatis, contritionem, confeßionem, ſatisfactionem, abſolutionem: tamen nos arbitramur tanquam certum tenendum, vt cætera ſacramenta in materiam & formam diuiduntur, vt partes eſſentiales, ex quibus tota eorũ eſſentia conſurgit, ita & pœnitẽtiam. Sunt autem materia, ex qua conſtat, actus pœnitentis, vereque & propriè ſunt materia, & non tantùm (vt quidam volunt) requiſita. forma verò abſolutio eſt Sacerdotis.

5 MATERIAE autem partes ſunt tres, Contritio, Confeßio, & Satisfactio, quæ ſunt partes integrantes, & nec plures ſunt, nec pauciores, ita, vt hæ tres neceſſariò in pœnitẽte adeſſe debeant ad integritatem & perfectionem ſacramenti pœnitentiæ: & ad plenam perfectamque remißionem peccatorum: quamuis ſine aliqua harum, eſſentia nihilomi-

nus ſacramenti permaneat; ſicut membra corporis partes ſunt hominis, quamuis ſine aliquibus membris homo eſſe poſsit.

6 NON quiuis virtutis pœnitentiæ actus partes ſunt ſacramenti, ſed perfecti, hoc eſt, qui habēt reſpectum ad Eccleſiæ claues: vt Cōtritio cū voto confitendi, Confeſsio Sacerdoti facta, Satisfactio à Sacerdote impoſita. Atque eæ partes non ex Eccleſiæ ſolùm traditione, aut uſu, nec ab Apoſtolis tantùm, non denique aliunde, quàm à Chriſto immediatè inſtitutæ ſunt, vt cæterorum ſacramentorum partes.

7 IMPOSITIONEM manuum aſſerere partem ſacramenti, puta materiam eius, vel materiæ partem, eſt error; cùm nec ad ſacramenti eſſentiam, aut neceſsitatem ſpectet. Ineptè autem & impiè in confeſsione Auguſtana eſſeritur, partes has duas eſſe pœnitentiæ, ſcilicet terrorē conſcientiæ ob peccatum, & fidem poſtea à terroribus liberantem: cum Euangelium fidem à pœnitentia diſtinguat. Pœnitemini, inquit, & credite Euangelio.

DE CONTRITIONE ET ATTRITIONE.

1 CONTRITIO, vt diximus, virtutis pœnitentiæ eſt actus, & peccati remiſsionem efficit: dicta verò videtur, quòd veluti conterat peccatum, aut potius cor ipſum hominis dolore peccatorum. Non eſt autem contritio dolor de pœna, ſed de culpa, & de culpa quidem non alienā, ſed propria, & de propria non originali, ſed actuali, & actuali non futura, ſed præterita. de hac verò tam mortali, quàm veniali.

2 ALIVD verò contritio eſt, aliud attritio. Eſt enim attritio imperfectus de peccatis dolor, contritio verò perfectus, vt & ipſa etymologia nominis ſatis indicat: cùm atteri ſit in maiuſculas partes, conteri verò in minimas, vel in pulueres etiam redigi. Item attritio nec cum charitate eſt, nec ex charitate: contritio verò & ex charitate, & cum charitate. Denique attritio eſt dolor de peccato contra Deum commiſſo, ſed non propter Deū: contritio autē dolor de peccato propter Deum. vnde fit, vt attritio non ſit ſatis ad auferenda per ſe peccata ſine ſacramēto; At contritio ea delet etiam antè ſacramenti ſumptionem, ſed non ſine ſacramenti voto: quare non ſolùm differunt intenſione, vt quidam volunt, ſed obiecto & ſpecie, ita, vt attritio nullo modo poſsit fieri contritio. At idem numero dolor, qui eſt ante charitatem, poteſt ſuperueniente charitate informari.

DE ATTRITIONIS ET CONTRITIONIS SPECIEBVS.

1 ATTRITIONIS tres ſunt ſpecies: prima ob gloriam conſequendam ex ſpe nata: ſecunda ob infernum fugiendum, ex Dei timore: tertia & vltima, quæ vix meretur attritionis nomen, ob alia incommoda minora, quæ ob ipſa peccata Deus inferre conſueuit, fugienda, alia ue bona minora ab ipſo conſequenda: atque hæ attritiones tantum diſtant inter ſe, vt primæ duæ cum ſacramento ſint ſatis ad iuſtificationem: Tertia autẽ minimè.

2 CONTRITIONIS autem ſpecies ſunt duæ, altera propter ipſum Deum cognitum lumine fidei, & amatum ex ſpeciali auxilio; altera verò propter Deum, fidei quidem lumine cognitum, ſed ex charitatis infuſa virtute amatum ſuper omnia. Et inter has quoque tanta eſt differentia, vt hæc per ſe peccatum deleat, & gratiam iuſtificationis afferat: illa verò præparet proximè ad recipiendam gratiam, & iuſtificationẽ.

DE VARIIS ACTIBVS POENITENTIAE INTERNIS, ET DE PERFECTA CONTRITIONE.

1 At verò cùm pœnitentiæ virtutis multi ſint interni actus, an omnes ſub contritione claudantur, an verò contritio ſit eorum vnus aliquis, dubium videtur. Item quis eorum ſit, an̄ ſcilicet diſplicentia ſit de peccato, an auerſio, an diſſenſus à peccato, an deteſtatio peccati, an dolor de peccato, an peccati odium, an, vt quidam volunt, nolle peccaſſe, vel velle non peccaſſe. Hos autẽ actus pœnitentia habere videtur erga peccata præterita.

2 IMMO & erga futurum peccatũ vera pœnitentia propoſitum habet amplius non peccandi, & præterea horret, & timet, & fugit, & cauet peccatum futurũ. Sed erga ipſum quoque, qui peccauit, ſimilibus affectibus commouetur; atque erga peccatum præteritum. Et præterea erga perſonam, contra quam peccauit, affectum iuſtitiæ ingenerat, ad illatæ iniuriæ ſatisfactionem, atque vindictam.

3 ERGO contritionis eſſentia in quo horum actuum propriè conſiſtat, dubium videtur. At cùm omnes eam appellare dolorem conſueuerint, videtur propriè eſſe dolor de peccatis, aut certè non ſine dolore: dolor inquam, voluntatis, non ſenſus. At contritio, ſi perfecta eſſe debet, omnia hæc ſimul habeat oportet, quæ diximus. Sufficiens verò erit

ad peccatum delendum, ſi ſit diſplicentia, ex qua dolor aliquis naſcatur cum propoſito amplius non peccandi, & ſacramenti voto: & quamuis hoc propoſitum & votum expreſſum eſſe debeat, tamen in virtute ſatis eſſe, eſt probabile. Quòd ſi horum deſit aliquid, eſt inſufficiens.

DE CONTRITIONIS EFFECTV, QVANTITATE, QVALITATE, TEMPORE, &c.

1 VT perfecta contritio peccatum delet, ita ſine contritione remiſſionem peccatorum conſequi non poſſumus, vt ſuprà diximus, ſed ad mortalium remiſſionem, actu, & expreſſa contritio eſt neceſſaria, ad venialia verò in virtute tantùm: Sed originale nullam requirit contritionem. Nulla autem culpa tam grauis eſt, quæ contritione deleri nequeat; pœna autem non tota ſemper per contritionem deletur, ſed tanta contritio eſſe poterit, vt totam quoque auferat.

2 DE ſingulis peccatis mortalibus eſſe debet contritio, non ita tamen, vt neceſſe ſit, tot eſſe contritiones particulares, quot peccata. Vniuerſalis autem contritio de peccatis in genere, in gratia quidem ſtatim conſtituere poteſt, ſecundum illud Ezechielis 33. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit; ſed tamen manet poſtea obligatio ſub præcepto, vt doleat de ſingulis, ſecundum illud eiuſdem Ezechielis 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit omnia mandata mea, vita viuet, & non morietur.

3 IAM contritio ſeu dolor de mortali eſſe debet aliquo modo maximus, ſed voluntatis dolor, non ſenſus. vnde ſi vera ſit contritio, nimia eſſe non poteſt: ſicut nec alij charitatis actus. Non eſt tamen neceſſe intenſione ſit maxima, ſed æſtimatione malitiæ peccati, quæ eſt infinita. Imò verò cùm vnius peccati, ratione ſpeciei, malitia ſit maior altera (etſi vnaquæque quatenus contra Deum, eſt infinita) æſtimatione talis malitiæ ſpeciei, de vno eſſe dolor maior poteſt, & debet, quàm de altero: de maioribus quidem peccatis maior, & de minoribus minor.

4 MAXIMAM ergo æſtimatione dicimus debere eſſe contritionem, vt videlicet plus peccatum diſpliceat, ac id deteſtetur pœnitens & fugiat, quàm quodcunque malum etiam æternum inferni. At non eſt neceſſe, vt particularibus vtatur comparationibus, ſed ſatis eſt, vt in genere hoc ſit animo, vt pro nulla re peccare velit. Demum eo modo tenetur dolere de peccato, quo tenetur Deum ex charitate diligere ſuper omnia. Quòd ſi ad hunc gradum æſtimationis peccati contritio peruenerit,

etiam minima & per momentum ſatis eſt ad delenda peccata, quantumuis multa & maxima. Diuinæ etenim miſericordiæ non poſſumus tempora definire, nec menſuras ponere, vt ait Leo Papa.

5 OPORTET autem ſtatim de peccato conteri; ſed an nouum ſit peccatum, ſi non ſtatim conteratur, dubium videtur: vtrumque autem tanquam probabile tuebimur. Imò verò ſemper pœnitere oportet aliquo modo, & per totam vitam ſaltem habitu & in virtute, non tamẽ actu.

6 TENETVR tamen quiſque actu de peccato commiſſo contritionẽ habere in mortis articulo, & in eius periculo, vt in graui morbo, & cũ ſacramentum aliquod ſuſcipit, vel adminiſtrat. Quoties autem in memoriam peccata redeunt, ſunt etiam deteſtanda ſaltem habitu, & in virtute, animum ab eis alienãdo. Cæterùm quod quidã dicunt eſſe neceſſe, vt in die feſto actum quis eliciat contritionis, non putamus eſſe verum.

DE CONFESSIONE

1 CONFESSIO, ſi nominis ſignificationem ſpectemus, latè patet: nihil enim aliud eſt, quàm manifeſtatio alicuius, quod quis in conſcientia occultum habet: Nam ſi contrarium diceret, non eſſet confeſſio, ſed fictio. Quare omnis confeſſio eſt veritatis aſſertio: Atque hinc fit, vt ex ſe ſit virtutis actus, & in ſe rationem bonitatis includat.

2 EST autem veritatis confeſſio multiplex: nam ſpeculatiuè dicitur, & practicè, ſed potiſſimùm practicè. Et practicè quidem tùm fidei cõfeſſio, tùm operum; Et operum adhuc propriorum tùm bonorum, tùm malorum: ſed malorum tantùm confeſſio eſt actus virtutis pœnitentiæ. Ea verò, quæ pars eſt ſacramenti, ſacerdoti fit.

3 EST enim confitendum non ſolùm Deo, ſed homini, & homini non laico, ſed Sacerdoti: Sacerdoti autem non ſolùm tanquam conſultori aut doctori, aut conſolatori, vt quidam nugantur Lutherani, ſed tanquam iudici, aut potius tanquam ei, qui omnibus iſtis fungatur muneribus. Sũt enim iudiciales actus abſoluere, & ligare, & iudicium illic exercere. Nec narratio ſimplex peccatorum eſt confeſſio, ſed qua quis ſe accuſat, idque, vt abſoluatur ſub ſpe veniæ. Vnde commodè poterit, & breuiter definiri ea quæ pars eſt ſacramenti, ita, vt dicatur eſſe confeſſio peccatorum, ſeu accuſatio Sacerdoti facta à pœnitente, vt ab eis abſoluatur. Efficit verò confeſſio gratiam & remiſſionem peccatorum. Omnes etenim pœnitentiæ partes ad effectum ſacramenti concurrunt etiam ex vi operis operati.

4 *HANC confeſsionem Sacerdoti faciendam Chriſtus inſtituit immediatè in Euangelica lege, non per medios Apoſtolos, aut Eccleſiã. Eſt itaque diuini iuris, nam iure naturæ ante legem, Deo interius confiteri homines tenebantur, & poſtea in lege, aliqua confeſsio exterior eſt ſuperaddita. At in nouo Teſtamento confeſsio vocalis perfecta iure Euangelico eſt introducta.*

5 *EST autem confitẽdum proprio Sacerdoti, vel alteri de eius licẽtia, & non aliter: cùm neceſſariò requiratur in miniſtro tùm ordo, tùm iurisdictio, idque tùm ad mortalia ſoluẽda, tùm ad venialia; & neutrũ ſine altero ſit ſatis.*

6 *IS itaque, qui ordine, vel iurisdictione caret, aut etiam iurisdictionis vſu, quamuis iurisdictionem habeat, abſoluere non poteſt. Atque ideo cùm iurisdictio requiratur, ratione eius reſeruari peccata poſſunt, à quibus reſeruatis ſiquis tentet abſoluere, abſolutio eſt irrita.*

7 *QVOD ſi contingat confiteri laico, cùm in periculo quis, aut in neceſsitate cônſtitutus eſt (quod quidem aliquando vtile eſt, nunquam verò neceſſarium) illa confeſsio ex opere operato nihil valet, ſed ſolùm ex merito & deuotione operantis, & ex voto ac deſiderio confeſsionis Sacerdoti faciendæ: nec ita confeſſus (etiam in mortis articulo) ab eo abſolui poteſt, nec ad Euchariſtiam admitti, niſi iterum Secerdoti cõfiteatur.*

8 *PROPRIVM autem Sacerdotem aſſerimus, qui ordinariam habet iurisdictionem in interiori foro, vt Parochus in ſuos parochiales, Epiſcopus in ſibi ſubiectos, Papa verò in omnes. Quare inuito proprio, niſi de Superioris licentia, ob nullam cauſam licet alteri confiteri. Sed tamen habentibus priuilegium, vt Religioſis pleriſque, citra licentiam proprij, licet. Nec poſtea proprio ſuo Parocho confiteri eadẽ neceſſe eſt.*

9 *AT quiuis Sacerdos poteſt quemuis à uenialibus abſoluere, & à mortalibus antea legitimè confeſsis: ac ſummum ipſum quoque abſoluere Pontificem, non quòd eius omnes proprij ſint Sacerdotes, vt quidam imprudenter aiunt, vel quòd in eum omnes, quantum ad hoc, habeant iurisdictionem; ſed quòd ipſe eam tribuit hoc ipſo, quòd aliquem eligit, cui confiteatur. Poteſt namque alteri dare poteſtatem, vt ſe abſoluat, licet ipſe ſeipſum abſoluere non poſsit, nec alteri concedere poteſtatem, vt ſe excommunicet.*

10 *CONFITERI autem neceſſe eſt omnia & ſingula peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa (non autem quæ ante baptiſmum com-*

*miſſa ſunt, nec originale) omnia inquam, quorum quis recordatur, diligē-
ti peccatorum adhibita, qualis in re graui adhiberi ſolet, inquiſitione.
Nec ſatis eſt ſingula peccatorū genera referre, aut ſingulas eorum ſpe-
cies, ſed numerus peccatorum, quantum fieri poteſt, confitendus eſt.*

11 *IMO nec numerus tātū ſine ſpecie ſatis eſſet, vt ſi dicat ſe cēties pec-
caſſe mortaliter: ſed vtrūq; exprimatur oportet. Ex circūſtantijs quoq;
debent non tantùm mutantes ſpeciem declarari, verùm etiam addentes
nouam mortalis peccati grauitatem, numero differentem.*

12 *VENIALIA verò debita confeſsionis ſunt materia, ſed nullus
ea confiteri cogitur, niſi dubium eſſet, an ſint mortalia: aut fortaſſe cùm
alia non haberet. Poſſent autem Religioſorum Prælati ipſos Religioſos
ad venialium confeſsionem obligare, ac etiam ſummus Pontifex Chri-
ſtianum populum, nec talis confeſsio eſſet impoſsibilis, vt quidam falſò
putant, ſed non expediret tale præceptum Eccleſiæ vniuerſæ, ſicut reli-
gioſis prodeſſe poteſt.*

13 *ATQVE vt non eſt neceſſe peccata venialia confiteri, ita ne, o-
mnia, nec eorum numerum indicare, ſed vnum ſine altero confiteri poſſu-
mus. Vnum autem mortale ſine altero nequaquam licet confiteri, niſi
iam antea ea quis dixerit in confeſsione, & ab ijs legitimè abſolutus
fuerit. Nullam etenim ob cauſam licet confeſsionem diuidere, nec etiam
abſolutionem. Integritas enim confeſsionis iuris eſt diuini, & ſemper
eſt ſeruanda ita, vt omnia vni & eidem Sacerdoti dicantur.*

14 *AT in articulo mortis ſi quis nequit confeſsionem perficere, abſol-
uendus eſt. Nec tùm diuiditur confeſsio: ſiquidem confitetur quantum
poteſt, imò verò ſi duntaxat contritionis ſigna oſtenderit, cùm plura ne-
quit, eſt abſoluendus: nec tunc deeſt materia ſacramenti. Contraria au-
tem opinio, quæ vel diuidi poſſe cōcedit aliquando, vel cùm adſint ſigna,
non eſſe abſoluendum, praxi & vſui Eccleſiæ aduerſari videtur.*

15 *CONFESSIO autem fieri debet voce, ſi tamen fieri poteſt, ſin minus,
ſignis quibuſdam. Licet etiam ſcripto, vel per interpretem confiteri, non
tamen per nuntium, aut per epiſtolam in abſentia. Non eſt autem neceſ-
ſe ad eſſentiam ſacramēti, vt ſit ſecreta ſed publica quoq; eſſe poſſet; quā
uis vſum ſecretæ publicè confitendi nūquam in Eccleſia fuiſſe credimus,
ſed abuſum duntaxat in quibuſdam prouincijs, eumque à ſummis Ponti-
ficibus Romanis reprehenſum. Publica verò peccata publicè confiteri
licet. Siquis autem in confeſsione data opera mentiretur in re quidem*

graui mortale erit, at in re leui tantùm arbitramur eſſe veniale.

16 *SINE ſufficienti verò diligentia ad recordationem peccatorum, aut ſine contritione, vel ſaltem attritione confeſsio nihil valet, & erit iteranda. Vnde peccat ſi hoc ſciens confitetur; quòd ſi neſciat citra ſuam culpam, à peccato quidem excuſatur, ſed non adimplet præceptum confitendi, nec ſacramentum tenet; & cùm primùm ſciuerit, ad iterum confitendum tenetur. Quare informis confeſsio, & valida nulla eſſe poteſt: quanquam contrarium quoque vt probabile tuebimur.*

17 *IVRE quidem naturæ in mortis articulo, item in eius probabili periculo confiteri Deo tenentur omnes. At iure diuino poſitiuo tùm hoc eodem tempore Sacerdoti, tùm etiam, cùm ſumenda eſt Euchariſtia, cũque celebrandum eſt, ſi quis copiam habeat confeſſoris. At non tenetur ſtatim quis confiteri poſtquam peccauit.*

18 *IVRE verò humano ſemel duntaxat in anno neceſſarium eſt confiteri: at melius eſt, frequenter confiteri: quòd ſiquis tunc non cõfitetur, tenetur quãprimùm poterit: vt Sacerdos, qui ob neceſsitatem ante peccati confeſsionem celebrauit, quamprimùm poſsit, debet confiteri.*

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

1 *SIGILLVM confeſsionis, quod quidem non ſolùm iuris naturalis eſt, ſed diuini & humani ſeruandum eſt: Idque conuincitur neceſſariò, tùm ex ſignificatione ſacramenti, tùm quia ea, quæ exterius in ſacramẽtis geruntur, ſigna ſunt eorum, quæ interius fiunt in anima; tùm etiam quia ſacrum eſt ſecretum, tùm quia ſcit Sacerdos, vt Deus, nõ vt homo, ac demum, vt vſus ſacramenti ſuſtineri poſsit in Eccleſia; nec minus ratione ſcandali; quorum ſingula id efficiũt neceſſariò, vt ob nullam cauſam, aperiri queat confeſsio.*

2 *QVOD ſi iuramentũ petatur, poteſt & debet Sacerdos negare, & contrarium iurare, nec is periurus habetur, nec mendax: quamuis etiam dicat ſe non audiuiſſe, etiam in confeſsione peccata, quæ tamen audiuit: nec minus pœnitens in iudicio compulſus iurare poſſet ſe nihil tale illi Sacerdoti confeſſum fuiſſe.*

3 *TAMEM ſi detegendæ confeſsionis Sacerdoti à pœnitente facultas tribuatur, tunc poterit, quæ in confeſsione acceperat, aperire: at ſi confeſſor ante, vel poſt confeſsionem, aut ab eo ipſo, qui confeſſus eſt, aut ab alio ea reſciuerit: neceſsitate impendente atque cogente poteſt illa dicere.*

DE SATISFACTIONE.

1 *SATISFACTIO in vniuerſum, vt eius nomen præ ſe fert, eſt quantũ ſatis eſt, facere, ſed hoc latè patet; nam & ſenſui, vel appetitui, & nobis, vel alijs ſatisfacimus; vnde & opinioni ſatisfieri dicimus, & interrogationi, & quæſtioni: ſtrictius autem eſt, debito ſatisfacere, & tunc iuſtitiæ eſt actus: nam nomine ipſo æqualitatem ac medium includit, vt ſcilicet ſatisfiat debito.*

2 *AT hæc eſt multiplex, pro diuerſitate debiti, & perſonarum, quibus debetur. Debitum enim aut Deo, aut hominibus debetur, & quidẽ hominis debitum, rerum vi ablatarum propriè reſtitutio eſt, ab ſponte autem dante acceptarum propriè ſolutio, damni illati compenſatio, beneficij accepti retributio, ſeu relatio gratiæ, iniuriæ verò illatæ ſatisfactio: ſi propriè quidem vim rerum & nominum ſpectemus.*

3 *QVAE quidem ſatisfactio non ſolùm eſt compenſatio iniuriæ, aut illati damni, aut reſtitutio; ſed etiam amicitiæ reconciliatio. Et ideo ſpontè fieri debet: alioqui ſatisfactio non eſſet. Diſſoluitur namque per peccatum iuſtitiæ æqualitas, & amicitia læditur; ſed vtrunque per ſatisfactionem inſtauratur. Definiri ergo ſic poteſt commodè: Satisfactio eſt ſolutio, ſeu compenſatio iniuriæ ſpontè facta ad conciliandam amicitiam. Igitur cùm Deo ſponte ſoluimus quod pro peccato debemus, ſatisfacimus.*

4 *POSSVNT namque homines ad æqualitatẽ Deo ſatisfacere, imò id eſt neceſſe. Nam dimiſſa culpa, & pœna æterna, adhuc temporalis manet: pro qua niſi in hac vita ſatisfacimus, in altera in Purgatorio, vel in Inferno nobis ſoluendũ erit. Poteſt verò vnus pro altero ſatisfacere, ſicut & impetrare, & mereri.*

5 *AT per opera bona extra charitatem facta, homo pro peccatis, aut pœna illis debita ſatisfacere nullo modo poteſt (quamuis de his peccatis antea contritus & confeſſus fuerit) nec vitam æternam, aut gratiã per illa promereri.*

6 *ALIQVID tamen valere bona opera moralia non ſolùm apud homines (quod certum eſt) ſed apud ipſum Deum, præſertim ſi ex fide aut ſpe procedant, aut ex Dei timore, non eſt negandum. Non tamen ex vi ipſorum operum, aut dignitate. ſed ex Deo ſolùm orta decentia, hoc illis meritum tribuimus, quod tamẽ propriè non eſt meritum: Quãuis contrarium quoque, nempe ex vi ipſorum, alicuius eſſe ea meriti, vt probabile defendi poſſit, præſertim ad præmium temporale.*

7 IAM ſatiſfactio, quæ per opera non habentia pœnam fit, licet ex Dei beneuolentia valeat; non tamen ex vi, aut æqualitate iuſtitiæ, vt illa, quæ per huiuſmodi fit opera; non quòd vis ſatisfaciendi ſumatur ex hoc tantùm, quòd opus pœnam habet: cùm opus, quod ex maiori charitate fit, cæteris paribus magis ſatisfaciat: ſed quia per hæc opera habentia pœnam aliquid à peccatore demitur, & datur Deo; atque ita per ſe & propriè æqualitas iuſtitiæ conſtituitur.

8 SATISFACERE autem poſſumus tùm per opera exteriora, tùm interiora, tùm debita ſub præcepto, tùm non debita; maximè verò per hæc tria, ieiunium, orationem, & eleemoſynam: præ alijs tamen maximam vim ſatisfaciendi habet eleemoſyna.

9 NON ſolùm autem ſatisfactio eſt pœnitentiæ virtutis actus, ſed pars materiæ ſacramenti, qua ipſum integratur, & eius effectus perficitur. Hæc autem eſt non quæ pro pœnitentis libito agitur, ſed quæ à Sacerdote imponitur: quæ multo plus prodeſt, quàm ſi ſponte eſſet aſſumpta.

10 POENITENS verò iniunctam à Sacerdote pœnitentiam tenetur ſuſcipere, & ſuſceptam explere. Itaque ſi quiſpiam illam pro mortali peccato, quod numquam confeſſus ſit, impoſitam omitteret, mortaliter peccaret: At verò pro veniali impoſitam omittens, venialiter, aut etiã, ſi ex contemptu omitteret, mortaliter. Habet enim Sacerdos poteſtatem non ſolùm ſoluendi, ſed ligandi quantùm ad culpam, & pœnam. Nec enim iudex eſt arbiter tantùm, ſed ordinarius à Chriſto domino cõſtitutus.

11 IMPONENDA autem eſt pœnitentia æqualis pro peccati quãtitate, ſi vim iuſtitiæ ſpectemus, vt plena fiat ſatisfactio; nihilominus habita ratione fragilitatis noſtræ, & perſonarum qualitatis, ac ſtatus, & cæterarum circumſtantiarum, pœnã iniungere ſacerdos debet, prout ei expedire videbitur.

DE ABSOLVTIONE, SACRAMENTI FORMA.

1 FORMA ſacramenti pœnitentiæ eſt ſacerdotis abſolutio, quæ his verbis perficitur; Ego te abſoluo; imò etiam hæc ſola verba, Te abſoluo, ſatis ſunt ad ſacramenti eſſentiam; quamuis alia addi ad decentiam oporteat. Hanc autem formam Chriſtus inſtituit immediatè, non Apoſtoli, aut Eccleſia. Nam condendorum ſacramentorum poteſtatem non

acceperunt. Debet autem indicatiuo efferri modo, non optatiuo, vt ſit ſacramentum.

2 *RECTE autem iis nominibus vtitur Eccleſia, Abſoluo te, potius, quàm, Remitto, aut Dimitto, & ſimilibus: Cùm his D. Petro claues ſint promiſſæ, cùm ei dictum eſt, Quæcunque ſolueris, erunt ſoluta; licet alijs quoque, dum eadem ſignificatio maneret, verum eſſet ſacramẽtum; ſecus autem, ſi ſignificatio mutaretur.*

3 *HAEC autem forma non ſolùm ſignificat effectum fieri, ſed facit. Verè etenim, & propriè Sacerdos abſoluit à peccatis, & verè peccata remittit, vt Chriſti inſtrumentum. Sacerdotibus enim dictũ eſt, Quorũ remiſeritis peccata, &c.*

4 *NEC verò forma eſt falſa, quòd iam ille, qui accedit contritus, videatur abſolutus. Senſus enim triplex eſſe poteſt formæ, Te abſoluo, id eſt, ſacramentum abſolutionis tibi impendo, quod ex ſe habet virtutẽ peccata remittendi; vel do tibi gratiam remiſſionis peccatorũ; vel nunc reuera remitto tibi peccata præcedentia; quia videlicet tunc exhibet Sacerdos cauſam præteritæ remiſſionis, in cuius virtute & voto facta fuerat.*

5 *ILLOS verò ſenſus reprobamus, vt Sacerdos ſolũ abſoluat, quantũ ad Eccleſiam, Deus autem interius, quantum ad ſe: vel vt Sacerdos tantùm oſtendat abſolutum, vel ligatum, Deus autem tantùm interius abſoluat; vel, vt tantùm abſoluat à præcepto confitendi: Cùm ſi ita foret, Pœnitentia ſacramẽtum non eſſet, nec gratiam efficeret quam ſignificat. Per abſolutionem etenim Sacerdotis ex opere operato culpa deletur, & pœna æterna dimittitur, & temporalis minuitur, & aliquando etiam tota condonatur. Aperitur præterea regnum cælorum, prima gratia datur, vt cùm ex attrito quis fit contritus, vt diximus: Etſi in gratia quis acceſſerit, augetur. Per abſolutionem denique Sacerdotis, Dei amicitia & beneuolentia conciliatur, & ſine illa, ſaltem in voto, venia obtineri non poteſt.*

LAVS DEO.

De licentia Superiorum.